LECTIONUM ÆSTIVARUM INITIUM

IN

LITERARUM UNIVERSITATE

ALBERTO - LUDOVICIANA

AD DIEM XXX APRILIS

INDICIT

CONSISTORII ACADEMICI NOMINE

CAROLUS ZELL

PHIL. DR. GRAECARUM LATINARUMQUE LITERARUM PROF. P. O.

INEST OPERIS KLUEPFELIANI DE VITA ET SCRIPTIS CONRADI CELTIS PROTUCII PARTICULAE ULTIMAE FASCICULUS ALTER IDEMQUE ULTIMUS.

FRIBURGI BRISGOVIAE

TYPIS WANGLERIANIS

MDCCCXXVII.

Vetus est et pervulgatum praeceptum: non scholae sed vitae esse discendum; quod ut a plurimis usurpari solet, ita a perquam paucis recte intelligi videtur. Quare jam agite, Commilitones, cum denuo ad discendum et ad scholas semestres nunc redeatis, consideremus si placet paululum, quid hoc sibi dictum velit, et quam vim ad studia nostra regenda habere possit. Sunt igitur qui, quoniam ventri servire vivere putant, dum vitae audiunt ventri discendum esse credant, atque ante omnia quaestum aucupentur et lucrum. Quos quidem quod rei familiari prospiciunt, quod excogitant, qua ratione ipsi vitam tolerent, ne aliis oneri aut sibi dedecori sint, nemo sanus vituperabit; sed quod in literis colendis plane nihil aliud praeter quaestum sectantur, neque ullum ad vitam honeste et cum dignitate degendam praesidium, solatium, decus inde petunt, id demum illiberalis est animi et abjecti, id eos infra degenerem illam Romulidum plebeculam detrudit cum pane Circenses efflagitantem. Sunt alii, qui ita in eodem praecepto fallantur, ut illico et solum ad ea munera respiciant, quae quisque in vitae usu aliquando sustinere debeat; et proinde hoc solum agunt, in hoc solum incumbunt, ut quam celerrime aut concionari possint praeclare et dogmatum praecepta ore tenus decantare aliisque inculcare, aut lites tractare, aut denique morbos et vulnera utcunqne curare; omnia, quae in his angustiis, in quibus se abdiderunt, non includuntur, nugas putant, tricas, quaestiunculas ad scientiae delectationem neque ad efficiendi utilitatem inventas. Sed profecto bonos istos viros haud incommode eorum similes esse dicas, si qui sint, qui agrum arare et serere dum nolunt, fructus tamen exspectent; et nescire videntur, quam saepe longior via praestet brevissimae, quoties nimirum tutior est, quoties commodior, quoties denique sola nos eo, quo tendimus, ducit. Quid? Itane disciplinae sunt a se alienae et quasi divulsae? Commune omnium est vinculum, ut qui in omnibus reliquis plane sit rudis, in una aliqua excellere non possit. Sed hoc quidem inter omnes intelligentes viros constat, ut pluribus verbis non sit explicandum. Neque omnino necesse est altius rem a stirpe repetere, modo literarum historiam perlustremus, eosque viros recordemur, qui in suo quisque genere disciplinas

exornarunt. Ecquis eorum in augustis unius professionis cancellis haesit? Imo nemo unquam egregius aut theologus exstitit sine accurata linguarum et omnis antiquitatis intellectu; nemo jurisconsultus sine multiplici doctrina et insigni ejus populi cognitione reipublicae, institutorum, linguae, a quo potissimum juris ratio ad magnam reliquorum populorum partem manavit; nemo medicus sine strenua naturae et assidua investigatione.

At ne ii quidem, qui hoc intellexerint, etsi multum ultra vulgus sapiunt, totam praecepti illius vim plane assecuti esse videbuntur, nisi aliud quiddam accesserit. Nam cum vitae discendum esse dicimus, procul dubio vitam humanam dicimus. Jam vero vita vere humana qua re continetur? Nempe ratione, qua maxime homines sumus, ejusque recto et constanti usu, idest, incorrupto ac vegeto veritatis et honestatis sensu, judicii acumine, integritate et elegantia morum. Is igitur neque omnem literarum fructum percepisse, neque vitae didicisse videtur, qui non ad hanc ipsam humanitatem literis colendis aptiorem se reddi sentiat, ut hos divinos humanae naturae igniculos fovere et ad vitae usum illustrandum aliquando adhibere queat. Ut sit igitur aliquis theologicae disciplinae gnarus, ut legum rationes teneat, ut calleat artem medicam, est hoc aliquid, neque tamen in eo sunt omnia. Altius quiddam doctrina et bonarum artium tractatio praestare nobis et potest et debet. Qui enim in disciplinarum commercio optimam illam rationem discendi secutus vitae vere didicerit, is omnino omnium earum rerum, quae honestae, praeclarae, decorae habentur, sensum sibi comparabit et intellectum; is non sua ipsius solum commoda spectabit, sed patriae, quae quo plures alit viros probos, honestos, intelligentes et generoso animo praeditos, eo felicior erit; sed totius generis humani, cujus decus et veram utilitatem promovere, augere, tueri pro se quisque nemo bonus unquam cessabit.

Neque igitur, Commilitones, temporis vos poeniteat, quod in earum artium et diciplinarum studiis collocatis, quae ut humanae et liberales appellantur, ita vere liberales, vere humanos effingere vos possunt; atque, ut adhuc facitis, ita studia vestra regite, ut vegetus ille et incorruptus honestatis et veritatis amor, ut sana et recta et ad agendum apta ratio, quibus rebus humanitatis quasi medulla continetur, nullo posthac nec studio quaestus nec occupationum onere in pectoribus vestris unquam obruatur.

CAPUT XXIV.

CONR. CELTIS EPISTOLAE.

De methodo, quam *Celtis* edidit de conscribendis epistolis, supra egimus. Longe plurimas ab eo esse exaratas epistolas, qui commercium habuit cum omnibus fere viris doctis aetate sua, dubio caret. *Jo. Trithemii* in catalogo virorum illustrium ea de re haec verba sunt: *Epistolas tam ad me, quam ad alios multos elegantissimas metro et prosa edidit.* Facile largimur, vocabulum *edidit* latiore significatu hic accipi oportere; ita, ut nihil designet aliud, quam scripsit, vel ad amicos dedit: si quidem apertum sit, an. 1495, quo *Trithemii* ille catalogus confectus est, syllogen *Celticarum* epistolarum typis excusam non comparuisse; quanquam negandum non sit, habuisse *Celtem* in animo, suo tempore istiusmodi collectionem in lucem publicam proferre. Dolendum vero est, dum erat in vivis superstes, id quod destinaverat, non praestitisse; ac post illius obitum, ut fieri solet, hominum injuria, ignorantiave, aut temporum injuria, litterarias hasce reliquias interiisse.

Ex epistolis plurimis quas e naufragio *sex* nobis servavit *Theophilus Sincerus* p. 351 seq. T. III. Bibl. hist. crit. *unam* vernaculo sermone scriptam ad Sendtum *Norimbergensem* nuper publicavit *Murrius.* Nos ut tantam *Celticarum* epistolarum jacturam, quantum in nobis est, aliqua ratione sarciamus, collegimus e msc. codice epistolarum ad *Celtem*, et amicorum, sodaliumque responsoriis, ad quos, quo tempore, aut quibus de rebus *Celtis* suas epistolas scripserit; dum amici et sodales, *Celticarum* epistolarum saepe repetiverint argumentum. Constituimus itaque easdem secundum annorum seriem breviter hoc loco recensere. Neque praetermittemus illas, quas sive in *Celtis* opusculis, sive apud alios reperimus integras; eadem integritate eas reddituri in *Appendice.*

Anno 1486.

Friderico, Saxoniae duci, scribit *Celtis*, comperisse se ex *Martino Mellerstadio*, carminibus poetarum eum magnopere oblectari. Laudat Principem, quod armis Musas jungat. Hinc sperat, rem non injucundam se facturum, dum ejus nomini constituit libellum inscribere *de arte versificandi*; cui haec epistola praefixa est.

Anno 1487.

Georgio, Saxoniae duci, per litteras significat, dicare se ejus nomini opusculum recens natum (*Proseuticum*) ut conscium eum faceret dignitatis, ad quam opera *Friderici*, patrui sui, ab Imperatore fuerit evectus. Testatur suum in principes Saxoniae studium. Tandem hortatur, ut *Fredianum Pighinutium*, multiplici eruditione ornatissimum fovere, colereque pergat. Complectitur hanc epistolam *Proseuticum Celtis*.

Friderico tertio Imperatori supplicat *Celtis* pro impertienda sibi lauro Apollinari. Spondet, operam se daturum, ne gratia accepta indignus, aut beneficii in se collati parum memor aliquando videatur. Hoc etiam epistolion adnexum est *Celtis Proseutico.*

Anno 1491.

Joanni Pisnensi, Pragam scribens, gratias agit pro illius in se meritis. Offert officia mutua. Excusat denique profectionem properam e civitate Pragensi, quin valedixerit.

A *Jacobo Argerio*, *Pragensi*, ad quem dabat litteras, petiit *Astrolabium.* Ut rem omnem curet, rogat. Demum hortatur, ut strenue incumbat in studia litterarum.

Cracoviam, ad *Albertum Brutum* (Bruteuum) mathematicum, epistolam misit, una cum *Panegyri* ad duces Bavariae. Precatur, ut suppellectilis librariae, ad se perferendae habeat rationem, curamque gerat.

Sixto Tucher, Ingolstadiensi, Doctori legum, *Ratisbonae* tum agens *Celtis*, ut conjectura est, significat per litteras, se *Ingolstadium* petiturum, si locus vacaverit.

Anno 1492.

Quae *Joanni Bolkushain*, *Vratislaviensi* nuntiavit, oeconomica s nt; attinentque suppellectilis ad se perferendae procurationem.

Janum Tolophum, Ratisponensem canonicum, certiorem facit de *Norimberga*, a se descripta.

Sigismundo Fusilio, *Romae* tum agenti mittit carmina, una cum oratione, quam illo anno *Ingolstadii* recitaverat, dum ibidem docere cœpit.

Michaeli Styrio, Viennam carmina, aliaque munuscula misit; laudavitque eum a cultura litterarum.

Theodorico Ulsenio, medico *Norimbergensi* commendat militem litteratum, morbo chronico laborantem. De se, et aegritudine, quacum ipse conflictabatur, pariter consilium petit.

In epistola ad *Maximilianum*, Romanorum Regem, dolet, neminem fuisse hactenus ex Germanis, qui res ab eo fortiter, praeclareque gestas litteris mandavit. Praedicit Musis feliciora tempora, tanto Principe. Reddit rationem, qua inductus, *Epitomen Rhetorices* collegerit, *Maximiliano* nuncupatam. Praemissa haec est epistola dicto *Epitomati*.

Anno 1493.

Joanni Cocliti, senatori *Norimbergensi* objicit diuturnum litterarum silentium. Adjunxit poema. Monet, ut ne epistolam *Kolbero* exhibeat.

Hieronymo de Croaria, legum Doctori *Ingolstadii*, commendat per epistolam magistrum *Andream Stiborium* mathematicum; optatque, ut succederet *Joanni Stabio*.

Bartholomaeo Steber, Viennensi medico nuntiat, se jam munere praeceptorio fungi *Ratisponae*. Quaerit, an sibi quid spei sit *Viennae?*

Apud *Petrum Danusium*, *Norimbergensem* queritur de molestia, quam sibi facesseret vetula quaedam *Norimbergensis*, aeris alieni causa.

Anonymo *Norimbergensi* misit carmina; admiscuit epistolae jocos et sales. Adjunxit chartam, tradendam pictori, ut, quod praescripsit, delinearet.

Litteris ad *Joannem Graecum Pierium*, Lincium datis, scitatur, an codices, quos expectarat, ad eum non pervenerint.

Celtis cum an. 1493 diutius teneretur *Norimbergae*, frequens scripsit *Ratisponam* ad *Janum Tolophum*; velut colligitur ex *Tolophi* confessione, qua dicto anno suum silentium excusavit: *Non mireris*, inquit, *quod pluribus*

21 *

diebus parvum vix epistolium tuis frequentibus litteris extorquere potuisti &c. Ex iisdem *Tolophi* litteris intelligimus, *Celtem Norimbergae* cum haereret, in eo fuisse, *ut antiquorum deorum prosapiam et Fastorum sex libros imaginibus illustrandos curaret.*

Joanni Graeco Pierio duas *Lincium* scripsit epistolas. *Alteri* adjunxit carmina in *Rapophagos;* una cum dono *Jani Tolophi.* Quaesivit, an *Franciscus Bonomus* Viennae jam advenerit ad obeundum munus professorium. Epistolae *alteri* comites addidit elegias, sale conditas, quibus lusit in sacerdotum atque principum barbariem.

Ab *Henrico Eutico,* medico Aug. Vind., petiit, ut opusculum, quod misit, curaret imprimi.

Anno 1494.

Theodoricum Ulsenium, Norimbergensem medicum consulit de sua valetudine; repetitque libellum, quo *Norimbergam* descripsit.

Petro Petz, Canonico Erfordiensi, quem vocat *affinem* suum, spem facit, se venturum esse *Erfordiam.*

Sigismund Opflbeckh, Procuratori scribens *Ratisponam,* adjunxit epistolam ad *Janum Tolophum,* et tractatulos praesentandos *Erasmo Australi,* Benedictino ad *S. Emmer.*

Monet, rogat epistola alia *Erasmum Australem,* ut libros *Metamorphoseon,* quos jam ante petiverat, ad se mittat; una cum *Martiano* de nuptiis Philologiae et Mercurii, et de trivio et quadrivio.

Janum Tolophum postulat reum ingrati animi; quod non mittat *Prudentianum,* typis vulgandum.

Theodoricum Ulsenium Norimbergensem medicum salutavit litteris, Phœbo plenis, atque Musis, doctrinaeque ac studiorum testes. Hortatur, ut suam ad *Ingolstadienses* profectionem maturet.

Erasmo Australi muneri misit *collationes Joannis Trithemii.* Petiit, ut transscriberet *Alexandreiden,* sibi impertiendam.

Anno 1495.

Sebaldo Clamoso Norimbergam misit *vitam S. Sebaldi,* typis editam; una cum ejusdem Divi imagine. Queritur, imaginis exemplaria alia in pergameno,

una cum *libello de Norimberga*, et chartis aliis in itinere se perdidisse. Adjunxit carmina, adscribenda IX Musis, quas in suis aedibus depictas habuerat *Clamosus*.

In epistola ad *Jo. Trithemium* facit mentionem de operibus *Roswithae*, quae ante obtulerat. Inducias petit, quantum ad solutionem debiti, quod contraxerat apud *Trithemium*.

Sebaldum Clamosum, qui grave damnum passus erat a *Sebastiano Kammermeister*, affine suo, consolatur: adjecto carmine ejusdem argumenti; quod incipit: *Clamose, nostris carminibus &c.*

A *Joanne Coclite*, Norimb. senatore, nosse cupit quid sit de libello: *Norimberga*. Repetit exemplar illud, quod commodato miserat *Cocliti*.

Sebaldo Clamoso mittit inscriptiones, quibus sint ornandae imagines Numinum, quas in aedibus suis depictas habuerat.

Anno 1496.

Ad *Joannem Vigilium Heidelbergam* misit epistolarum fasciculum, quas ut inter amicos, et sodales, quibus destinatae erant distribueret, rogavit.

Ad *Valentinum Engelhard* de Gelderheim, Conrectorem *Bursae Montis* Coloniae Agrippinae similem litterarum misit fasciculum. Promisit carmina; atque commendavit suum nepotem.

A *Conrado Amico*, tum Viennae morante petit, ut sibi pecunias reddat mutuo datas, antequam Vienna sit demigraturus.

Apud *Hieronymum Norimbergensem* medicum conqueritur de diuturno silentio. Cetera oeconomica sunt; attinentque curam de suppellectile libraria ad se perferenda.

Quae est ad *Henricum de Bunaw*, tota officiosa est; data *Wormatiam*.

Joannem Vigilium Heidelbergensem precatur, ut operam suam interponat apud creditorem, eundemque permoveat ad inducias.

Henrico Gruningero indicat, *Norimberga Ingolstadium* ad se venisse adolescentes duos, *Christophorum Friesinger*, et *Sigismundum*, discendi causa, disciplinae suae a parentibus commendatos.

Fridianum Pighinucium, Magdeburgi degentem, rogavit, cur de *Bombardis* scribens, novis vocabulis uteretur. Misit carmina *Bohuslai Hassensteinii.* Affirmat, datam sibi a *Fridiano* interpretationem tragœdiarum *Senecae* retinuisse, ut typis imprimendam traderet.

Theodorico Rysicheo Frisingam scribit, brevi vacaturam esse *Jngolstadii* cathedram veteris juris. Suadet, ut ambiat. Orsus est epistolam hac sententia: *Patere et abstine.*

A *Sebaldo Clamoso* cupit edoceri, quid sit de honorario, quod speraverat ob libellum *de Norimberga*, Senatui Norico dicatum.

Joanni Vigilio *Heidelbergae*, per litteras demandavit negotium, exponendum *Joanni Dalburgio.* Petiit sibi rescribendum librum. Rogavit, ut ageret cum *Joanne* de prorogatione solvendi debiti.

Celtis Heidelbergae cum esset, scribebat *Spiram* ad *Jacobum Wimphelingium.* Nuntiat, jucunde se vivere cum *Vigilio*, ceterisque commilitonibus. Optat eum videre. Petiit ab eodem carmen *Sebastiani Brant* de foedere Regis, et Romani pontificis, Italorumque perfidorum, Principi Vangionum dedicatum.

Henrico Eutico significat, placuisse sibi litteras *Moguntia* ad se datas. Hortatur, ut doctorum amicorum utatur consuetudine. Spondet, se eum immortalitati transscripturum.

A *Sebaldo Clamoso* petiit imaginem sancti *Sebaldi.* Rogat, ut saepe ad se scribat, referatque, si quid contigerit novi. Mentionem facit de curis, et rebus adversis. Addit, oportere philosophum omnia ferre aequo animo, et nihil queri.

Eidem de peregrino morbo scribit; et praescribit medium, quo tolli queat. De uxore ducenda nonnulla admiscet.

Theodorico Ulsenio, Norimb. medico, objicit in scribendo obscuritatem; et in congerendis nummulis aviditatem nimiam; nominatque eum in tergo litterarum *socium Cymbricum.*

Petro Bonomo, Aug. Vind. moranti declarat, fidem se habere ejus verbis, quibus excusaverit silentium aut tarditatem in reddendo responso. Addidit tetrastichon in poetarum osores.

Anno 1497.

Sebaldum Clamosum consolatur de facta rei familiaris jactura. Hortatur ad animi constantiam; adjecto epigrammate, quod huc facit; ac edocet, exoptandas nobis esse potius res adversas, quam secundas. Testatur, fuisse, qui 40 aut 50 aureos dare vellent, si libellum *de Norimberga* ipsis esset dicaturus; sed velle se non aliis, quam *Norimbergensibus*. Queritur de *Grünhofero*, quod pecuniam non mittat pro victu adolescentum. Demum facit mentionem de sui vocatione Regia *Viennam*.

Eidem affirmat, se hoc anno multis rebus adversis vexatum fuisse; quin desponderet animum, aut ardorem studiorum remitteret. Jungit carmen: *Quid tantum steriles poeta Musas &c.* adversus senatum *Noricum*, quod, suggerente scriba, pro dicata sibi descriptione *Norimbergae*, levidense honorarium, 8 aureorum decreverit. Asserit, iratis Musis, se scripsisse illos versus.

Senatui Norimbergensi indicat, ejusque judicio relinquit, quid libello *de Norimberga* sit addendum, demendumve: aut quo modo praeterita bella, quae sunt gesta a *Norimbergensibus*, describi debeant.

A *Georgio Alt*, publici aerarii *Norimbergensis* logographo scire cupit, quo loco sit suus libellus *de Norimberga*. Non dubitare se scribit, doctae Italiae admirationi fore, si in lucem exierit.

A *Senatu Norico* repetit libellum ante aliquot annos oblatum; ut possit emendare in melius.

Cum *Henrico Gruninger* agit per epistolam de alphabetis Graecis, et Hebraicis incisis.

Joanni Vigilio nuntiat, vocatum se esse *Vindobonam*. Precatur, ut inducias persuadeat *Joanni* in repetendo debito.

Ad eundem scribit de *Philostrato* Latine. Rursus facit mentionem de vocatione *Viennam*.

Adversus *Joannem Stabium* conqueritur, quod tanto tempore, suaque aegritudine nihil ab eo litterarum acceperit. Refert, moleste se ferre, quod sejunctus jam sit. Optat *Stabio*, ut poetices lecturam nanciscatur. Quaerit, quid sit de libello, in quo *Manilius*, et nonnulla alia astronomica continentur,

quem reliquit apud *Cuspidium*, cum *Vindobonam* abiret. Repetit a *Joanne* famulo pecunias sibi debitas.

Hieronymo de Croaria, legum doctori apud *Ingolstadienses* significat, *Viennae* meliore loco esse res suas. Cupit certior fieri, an non lecturam Juris Canonici in *Vindobonensi* academia amplecti velit.

Friderico Brogel, juris Licentiato *Wirceburgi*, commendat magistrum *Joannem Engel*; atque rogat, ut suam apud Episcopum operam interponat.

Joannem Aesticampianum (Sommerfeld) arguit negligentiae in scribendo. Jubet, amoris pristini igniculos ut suscitet. Adjunxit epistolae *Episodia*, quibus Viennae a sodalibus litterariis est exceptus.

Anno 1498.

Sebaldo Clamoso scribit, restauraturum se esse *Norimbergam*, atque remissurum *Norimbergensibus*, si petierint. Addit, melius sibi esse *Viennae*, quam *Ingolstadii*: proxima quadragesima se iturum *Venetias*, ad comparandos libros, Graecos et Latinos.

Jacobi Canteri, poetae laureati, degentis *ad Curvam Insulam*, laudat carmina, quibus est ab ipso honoratos. Invitat eum *Viennam*, ut carminum (quae *Celtis* procudit) auditor esse posset, et censor.

Ab *Andrea Kemrer*, Salisburgensi, postulat solutionem debiti, quod ejus filius *Viennae* contraxit.

Conrado Amico, medico, *Graecii* artem suam exercenti, nuntiat, *Venetias* se iturum tempore verno; id interea impedimento esse, quod sumptibus suis iter conficere debeat. Ei objicit avaritiam, aut sedulitatem nimiam in extorquendis nummulis pro curatione aegrotorum. Monet, ut creditoribus *Viennae* satisfaciat. Optat, ut quemadmodum *Ingolstadii*, ita *Vindobonae* habeat convictores.

Ad *Joannem Aesticampianum* quam dedit epistolam condivit jocosis salibus. Petiit librum *Ruthenicum*. Significavit, *uxorium* se fore poetam.

Th. Rysicheum, J. U. D. *Ingolstadii*, rogat, ut litteras suis adjunctas perferri curet ad eos, quibus sunt inscriptae, videlicet ad *Joannem Dalburgium* et *Joannem Vigilium*.

Aldo Manutio significavit, amari *Viennae*, atque coli litteras Graecas; sibique placere *Aldi* labores. Esse sibi Latinos et Graecos codices, lectu non indignos. Venturum se cum libris *Venetias* vere proximo. Petit introductionem in litteras Graecas, excusam typis.

Stephano Röfslin misit Ingolstadium commendatitias litteras, exhibendas amicis, quos *Celtis Augustae* habuit, ut consequeretur munus profitendi Latinas litteras in schola cathedralis ecclesiae *Augustanae*.

Joanni Schlechtae, Regis Pannonum Secretario, testatur suum erga eum studium. Agit gratias pro *Ptolemaeo* graeco. Quaerit, quid referre pro tam insigni dono debeat. Adjicit, si nihil occurrat, se daturum operam, ut donatoris nomen ad immortalem posteritatis memoriam transferatur.

Th. Rysicheo indicat, vacare *Viennae* juris canonici *lecturam*: esse eam ab *Hieronymo Balbo* non acceptatam. Optat, rogat, monet, *Rysicheus* ut spartam illam ambiat. Epistolae adjunxit carmen.

Anno 1499.

Ad *Laur. Corvinum Vratislaviam* datae litterae amoris plenae erant, ac monitorum. Hortatur, ut, cum ludo litterario praefectus sit, patriam et urbem celebrem melioribus studiis illustret. Excitat ad famae, et nominis adipiscendam immortalitatem; quam ipsi pollicetur cultu poeseos. Petit, ad se ut mittat carmina *Bohuslai de Hassenstein*.

Joanni Aesticampiano Cracoviae, nuntiat, commodiore jam se uti valetudine. Mittit carmina. Promittit meliora, *pridem cusa*, et *tersim laevigata*. Quaerit, quid sit de supellectile libraria, quam post obitum *Cracoviae* reliquit *Callimachus*.

Nicolao Plebano *in Eissenheim* scripsit, ut cum mittendae ad matrem pecuniae paratam non semper habeat occasionem, ipse interea suppeditaret, id, quod foret necessarium. Spondet cum actione gratiarum se redditurum, quod expenderit.

Fr. Rutghero, Sycambro, *Spanhemii*, testificatur, dignum eum esse, qui amicorum, et sodalium albo adscribatur. Laudat eum a studio litterarum, praecipue artis poeticae.

Per *Joannem Aesticampianum*, *Cracoviae*, petiit a *Sweipoldo* libellum in officina sua procusum. Carmina misit. De sinistra sua valetudine refert.

Adamo Wernhero, *Frisingae*, U. J. Licentiato, significat, se in ipsius adjuvanda causa omnem adhibuisse diligentiam. Suadet, ut, nulla interposita mora, *Viennam* se conferat. Nuntiat, pristinae valetudini se redditum; adjuncto carmine, quod in honorem Virginis Deiparae, et gratiarum actionem composuit. Rogat, ut se commendet *Frisingensi* Episcopo.

Anno 1500.

Vincentio Eleutherio, in Italia moranti, scribebat, vehementer sibi placuisse *Joannis Aesticampiani* elucubratiunculas. Idem per litteras significavit *Joanni Sturno*, eodem tempore apud Italos peregrinanti.

Th. Rysicheo misit *Ingolstadium* carmen, una cum *Cornelio Tacito*. Addit, moerore simul et gaudio fuisse se affectum, dum perceperit, eum contraxisse matrimonium.

Jacobo Philimuso, suo quondam discipulo, atque successori apud Ingolstadienses, dono largitus est *Taciti* libellum, de origine et situ Germanorum, sua industria castigatum et distinctum.

Sebaldo Clamoso indicat, se reconvaluisse. Adjecit carmen eam in rem confectum.

Ex *Fr. Joanne Pernreyther*, Ord. Cist. in novo monte (*Neuberg*) scitatur, quid sit de locanda domo ad sanctam *Annam*. Epistolae addidit munus chartaceum.

Apud *Petrum Bonomum*, tum *Augustae Vind.* agentem, conqueritur de raritate, aut tarditate epistolarum.

Laurentium Corvinum, Vratislaviae litteras profitentem, hortatur, ut, quae promisit, carmina mittat.

A *Sigismundo de Windeck*, cupit edoceri, quid sit de peculiari erga peregrinos more, qui viget in quibusdam vallis *Athesinae* arcibus.

Marcum Rustinimicum (Bauernfeind) degentem *in Mansee*, rogat, cur illi qui in Germaniae gymnasiis initiantur, *Peani* vocitentur.

Sebaldo Clamoso scribit de sinistra, qua conflictabatur, valetudine. Adjunxit epistolae munus, haud dubie litterarium, inter scholares *Norimbergenses* distribuendum.

Aldo Manutio misit carmina, quae affirmavit, esse nata in media barbarie. Spopondit, venturum se esse *Venetias*, cum libris Latinis et Graecis, quos invenisset.

Anno 1501.

Charitati Pirckheimerae dono misit *Roswithae* opera, addito carmine, quod epistolae vice fungeretur. Conqueritur in eo, a duobus latronibus fuisse se in via spoliatum, et percussum graviter.

Gregorio Nitsch de Loebenberg, Canonico *Olomucensi* misit cum epistola depictas quasdam (chorographicas?) chartas; eidemque commendavit Magistrum *Georgium*.

Joannem Wernerum, *in Berdt*, prope *Norimbergam*, monet, curam ut habeat voluminis Graeci, quod commodato ei dederit.

Sebaldo Schreyer (Clamoso) dicavit libellum paraeneticum, metrice contextum, quo eum solaretur ob grave damnum, quod est passus in re familiari.

Aldo Manutio significat, a longa peregrinatione e sinu *Codano* se rediisse. Petit, ut exercitationes juvenum poetarum de laudibus Caesaris imprimendas suscipiat. Misit suam Grammaticam Graecam una cum dictionario, rogans pariter, ut typis excudi faciat. Petit folium tribus impressum linguis. Affirmat, habere se postremos sex *Fastorum Ovidianorum* libros.

Friderico, Saxoniae Principi electori, epistolam inscripsit, qua ejus nomini dicavit *Roswithae* opera.

Petrum Tritonium rogavit, ut *Athesinam* vallem describeret; ejusque descriptionem curaret ad se perferri.

Bohuslao de Hassenstein offert sua studia, promptumque obsequendi animum. Promittit, se cum aliquo mathematico ad ipsum esse venturum.

Anno 1502.

Matthaeum Langium implorat, ut suo interventu apud Caesarem impetret pecunias, quibus opus esset ad ferendos sumptus, qui collocandi erant in imprimendis IV Amorum libris.

Sebaldo Clamoso respondet, se pariturum ejus monitis, atque editurum sua opuscula.

A *Joanne Jacobo a Cruce* Mutinensi petiit, ut *Anagniae* vallem sibi descriptam mitteret.

Sebaldo, Abbati *in Heilbruno*, orationes misit, et opuscula alia, publicata typis.

Joanni Aesticampiano Oppenhemii proposuit *Joannes Dalburgius* conditiones, quas *Celtis* ad Episcopum perscipserat; ut persuaderi *Aesticampianus* posset, et adduci ad munus professorium *Heidelbergae* obeundum.

Anno 1503.

Joanni Wernero, *Werdae* prope *Norimbergam* per *Sebaldum Clamosum* nuntiavit *Celtis*, agi *Viennae* de constituendo professore linguae Graecae: sibi fore optatissimum, id muneris adire *Wernerus* si vellet.

Sebaldo Clamoso nuntiat obitum *Joannis Dalburgii*; ac propterea se versari summo in moerore; atque indigere solatio. Quaerit, ubi terrarum agat *Jacobus Lateranus*.

Aldo Manutio significavit, demandatam sibi esse praefecturam collegii poetarum; concessamque facultatem coronandi poetas. Petiit, ut Graece doctum ex Italia *Vindobonam* mitteret, qui Graecas ibi litteras profiteretur.

Bilibaldo Pirckheimero scribit, graviter se ferre mortem trium clarissimorum virorum, *Joannis Dalburgii*, *Adolphi Occonis*, et *Jani Tolophi*; petit-

que hoc in luctu solatium. Quaerit de historia *Apollonii Thyanaei.* Spondet, se propediem remissurum esse *Homerum.*

Ad *Conradum Peutingerum* epistola, testis amicitiae est; et querimonia de litterarum silentio.

Gregorium Nitsch, Olomucensem Canonicum, rogavit, ut litteras, quas adjunxit, in conventu sodalitatis *Maierhofianae* recitandas curaret.

In epistola ad *Bilib. Pirckheimerum* de *Pico Mirandulano* haud satis amice sentit. Rursus pollicetur, se *Homeri* versionem esse remissurum.

Cum *Conrado Reitterio* Priore Caesareensi, Ord. Cist. agit per litteras de manumittendo servo, ut in ordinem clericorum possit cooptari.

Bilib. Pirckheimero remisit *Homerum.* Hortatur, ut illius *Odysseam* transferat. Nuntiat, jam imprimi quatuor Evangelia Graece. Repetit carmen *Vincentii Longini.*

Joanni Fuxmagenio, Lincium, misit inscriptionem sepulchralem, quam petiit, ponendam *Philippo de Losenstein,* Baroni, stemmate a Principibus Styrensibus derivato; qui aetatis anno XVI., cum optime spei esset, vitam finiit. Mentionem immiscuit de factionibus: commendavitque collegium poetarum.

Sinapio Olomucium misit litteras, sodalitati *Marcomannicae* inscriptas, eidemque exhibendas. Hortatur *Sinapium,* ut *Marcomanniam* cum urbe *Olomucensi,* et templis describat, sibique mittat.

Joanni Camerti, Romae degenti scribit, se gaudere, reddere quod velit libros, Augustae *Vindobonensi* bibliothecae destinatos. Minatur, apud Caesarem se querelas moturum, ni brevi id faxit (agitur de libris *Vinc. Longini,* quos reliquit post obitum).

Anno 1504.

Augustino Moravo misit *Budam* Panegyricum in laudem Divorum tutelarium *Austriae,* versibus concinnatum. Celebrantur eo in carmine etiam *Neythardus,* et sacerdos nescio quis *Calvi montis;* quod *Augustinus* miratur.

Anno 1505.

Augustino Moravo, quaerenti, cur *Bemos* vocitaverit *Boemannos*, respondet brevi epistolio.

Conradi Reitteri laudat carmina, in epistola ad eum data.

Atque in hoc anno desinit codex msc. epistolaris amicorum, et sodalium ad *Celtem*. Simus interea hisce fragmentis contenti; donec ex abditis bibliothecarum forulis, aut ex quibus demum cunque angulis proferantur *Celtis* epistolae integrae; pari fere fortuna, qua amicorum et sodalium litteratorum epistolae ad *Celtem* feliciter inciderunt in manus *Michaelis Denisii*.

CAPUT XXV.

C. CELTIS ORATIONES.

Quod superiore §. de *Celtis* epistolis conquesti sumus, id ipsum pariter evenisse intelligimus ejus *orationibus*. Dubio fere caret, eum, qui institutiones rhetoricas edidit, suosque formavit ad utrumque dicendi genus, exemplo suo praeivisse, atque, occasionibus diversis, varii generis conscripsisse, habuisseque orationes. Equidem in catalogo virorum illustrium recenset *Joannes Trithemius* inter *Celtis* opera *orationes multas et varias Lib. I.* Agit *Celti* gratias *pro orationum munere Sebaldus*, abbas Ord. Cist. *Heilbrunnae;* ut elucet ex ejus ad *Celtem* epistola an. 1502, quae legitur in cod. msc. epistolari. *David Chythraeus* p. 179. Chron. Sax.; postquam in *Celtis* laudes multa protulerat; sermonem ita finit: *Optimas litteras professus est; ut orationes ab eo habitae testantur.* Aeque vage in elencho *Celticorum* operum loquitur *Fabricius*: *Orationes*, inquit, *variae Celti* tribuuntur.

Neque mihi res melius cessit, accuratius investiganti, quid sit de illius orationibus. Non enim a nobis deprehensae sunt, nisi duae, quas supra indicavimus:

1) *Oratio inauguralis*, quam habuit *Ingolstadii*, cum anno 1492 munus adiret professorium in arte poetica et oratoria.

2) *Panegyricus* in laudem *Maximiliani I.* Imp., qui est praefixus *Libris Amorum*.

De utraque hac oratione cum pro instituti nostri ratione, suis locis, satis jam egerimus: supervacaneum arbitramur, de illis quidquam hic subnectere. Cumque easdem orationes raro obvias esse intelligamus, lectu non indignas, quippe quae *Celticae* vitae, illisque temporibus multum lucis affundant; in *Appendice* Celticae biographiae integras exhibendas putavimus.

CAPUT XXVI.

C. CELTIS GERMANIAE ILLUSTRATAE LIB. IV.

....

Vix ullum est opus, ad quod conficiendum tantum studii contulerit *Celtis*, quam ad istud, cui *Germaniae illustratae* nomen imposuit. Suscepit eum in finem per Germaniam universam, tot, tamque diuturnas, ac difficiles peregrinationes, conjunctas cum sui peculii, valetudinis, atque virium jactura; quemadmodum non semel variis in opusculis est testatus. Gentilibus suis tradere historiam patriam, is scopus, haec meta fuit, *Celtici* ingenii, finisque ejus desideriorum praecipuus. Neque intra vota duntaxat stetit; sed saepe saepius affirmavit, *Germaniam illustratam sibi in manibus esse.* In praefatione Libris Amorum praevia, Imperatorem alloquens, eam hisce verbis pollicetur: *Itaque omnia in illustrata Germania nostra, quae in manibus est, tuae inclytae Majestatis praesidio, et auxilio, quatuor libris, peculiaribus gentium tabulis, explicabimus.* Quemadmodum enim *Germaniam Generalem* heroicis versibus

descriptam dedit; ita *specialem*, singulasque ejus provincias, ac civitates soluta oratione complecti, ac enarrare peculiariter decreverat. Cujus quidem operis iterato spem facit Imperatori, in versiculis, quos praemisit *Germaniae Generali.*

Haec, rogo, pauca legas: donec *Germania* tota
Illustrata tibi, *Maxmiliane*, detur.

Neque se in *Germania illustrata* praetermissurum esse Germanos, doctrina aut dignitate praestantes, colligitur ex ejusdem epistola, *Apuleio,* a se edito, praefixa: dum *Joannem Fusemannum,* regium senatorem ita alloquitur: *Nostraque te, quae nunc est in manibus, nunquam tacebit illustrata Germania.* Qua ratione in adornando eo opere versatus sit, specimen aliquod praebuit in descriptione *Norimbergae.* In illius enim primo capite sentit, exhibere se historiam urbis *Noricae, tanquam praeludium quoddam, et ingenii experimentum ante editionem illustratae Germaniae, quae in manibus est;* non viventis solum, verum etiam vita functi. Est enim *Germania illustrata* is codex, cui *Celtis* exanimis manus lassas, fractasque, impositas habere conspicitur in imagine, de qua alibi fecimus mentionem; cum hac epigraphe: *Ger. illus.* 4.

An opus illud, quod *Joannes Trithemius* in catalogo de script. eccles. inter opera *Celtis* connumerat hoc titulo: *Germaniae situs* Lib. III., cujus initium: *Germaniam scripturus &c.* idem sit cum *Germania illustrata*, de qua hic sermo est, in medio relinquimus. Luculentius istud opus designavit *Joachim Vadianus*, unus ex praecipuis *Celtis* discipulis, ejusdemque in professorio munere successor: *Illustrare,* inquit Lib. III. in Pomp. Mel., *quatuor libris Conradus Celtis Germaniam voluit, studiosissimus vetustatis observator: sed cum jam orsus esset, aliud fata jusserunt.* Unde percipimus, ad umbilicum perductum non fuisse istud opus. Contendit nihilominus *Joannes Huttichius* in collectaneis antiquitatum *Moguntinarum*, relictum fuisse a *Celte* volumen de rebus Germanicis: provocatque ad discipulos *Celtis*, qui illud viderint.

Erat quidem inter *Celtis* discipulos, cujus illustre est nomen in republica litteraria, *Joannes Aventinus.* Is reliquisse fertur *Germaniam illustratam* distinctam in libros decem. Numeratur hoc etiam opus inter deperdita; ut illud *Celtis*; nisi fortassis lateat *Moguntiae* inter reliquias *Aventini*, ibi

asservatas; velut testatur *Joannes Georgius Eccardus* p. 58, Hist. stud. Etym. linguae Germ. Hanau 1711. 8. Ad hanc *Celtis Germaniae illustratae* jacturam videtur allusisse *Fabricius* his versiculis:

Herciniae indigenas Celte describis: ad usque
Tempora nostra tamen non venit iste labor.

CAPUT XXVII.

C. CELTIS OPERA RELIQUA, DEPERDITA, INCHOATA, PROMISSAVE.

....

1) *Parnassus biceps.*

Is quidem *Celtis* partus commemoratur a sodalitate litteraria Rhenana in ejus vita. *Scripsit*, inquiunt sodales, *Parnassum bicipitem, in quo poetas et theologos concordat.* Hocque opus videntur ab iis distinguere, quae imperfecta reliquit, aut inchoata. Anno 1496 existimatur ejusdem libri fecisse mentionem *Henricus Cuspidius* (alias Spies) *Heidelberga* ad *Celtem* scribens: *Mitte Montem Parnassum: si paratus sit, et tute huc possit apportari. Adsunt enim mihi Joannes Reuchlin, Phorcensis*, et alii. Meum non est, divinare, in quo illa concordia sita fuerit, ad quam *Celtis* hoc opere poetas atque theologos adducere studuit.

2) *Panegyricus in laudem Divorum Tutelarium Austriae, metro propositus.*

Carmen hoc composuisse *Celtis* videtur an. 1504 ineunte. Isto certe tempore illud misit *Budam* ad *Augustinum Moravum*, Regni Bohemiae *Vice-Cancellarium*; quemadmodum ex ejusdem ad *Celtem* epistola colligitur: quam quia brevis est, atque hujus Panegyrici censuram quandam continet, huc referimus. „*Augustinus Conrado Celti S.* Ago tibi gratias, mi Celte, de „*Panegyrico* abs te mihi misso, in laudem Divorum Tutelarium Austriae;

„quem ea, qua soles felicitate ingenii et gratia carminis cecinisti. Hoc „unum miror, inter Heroas illos *Neythardum* etiam, et sacerdotem *Calvi Montis* „te connumerasse, atque duos histriones, et ludiones notissimos in apo- „theosin, ac Sanctorum catalogum retulisse. Non fuit satis, ethnicos illos „poetas scortis, et arsenothelis cœlum replevisse: nisi tu mimos etiam, et „histriones adjiceres. Sed poetica haec est licentia, quibus, ut *Flaccus* ait, „quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Vale, Germaniae decus. „Ex Buda 1504. Febr. 24."

3) *Archilochicum, dicatum Joanni Dalburgio.*

Hujus *Celtici* opusculi meminit *Jacobus Wimphelingius* in epistola ad *Celtem* an. 1496, pridie Nonas Januarii: *Si quid,* inquit, *novae habes lucubratiunculae tuae, fac me participem, sicut fecisti in Archilochico tuo, Divo Antistiti Vangionum dedicato: quod mihi mirum in modum placuit; atque adeo, ut eadem hora, qua allatum fuit, exscripserim. Illud tibi remitto, cum gratiarum actione.* Quid hoc de *Archilochico* sit, *Oedipo* opus est.

4) *Theodoriceis.*

Sodalitas litteraria Rhenana in vita *Celtis* ita habet de hoc poemate: *Theodoriceiden orsus est, qua Theodorici regis Gothorum, et Germaniae historiam complecti voluit versu heroico.* A vero aberat id, quod legitur in *promtuario Meuseliano* (Hist. litter. biogr. Magazin St. VI. p. 25.) occurrere heroicum hoc carmen de rebus *Theodorici,* Gothorum regis, in collectione quadam *Celtis* poematum.

5) *Opuscula de vera nobilitate.*

Hoc de argumento habuisse *Celtem* opuscula plura, quae suis elimata curis edere constituerat, testatum facit *Thomas Truchses,* Spirensis canonicus, in epistola ad *Celtem* an. 1497. „Dum in *Ingolstadt* essem (scribit) tecum „deliberatum erat, diversa opuscula, quae tibi sunt de vera nobilitate, quae „ex bene gestis, et virtute nascitur, impressioni tradere velle, tuaeque „castigationis lima in lucem edere. Denique ex tua mera humanitate, et „liberalitate, qua prae ceteris virtutibus polles, me his donaturum spopondisti."

6) *Mythologia de Phoebo et Marte.*

Mythologici hujus opusculi *Celtis* mentionem facit in epistola nuncupatoria *Apuleio* de mundo, quem edidit, praemissa. Spondet, esse se eam lucubrationem *de Phoebo et Marte* typis vulgaturum, dum laborem suum probari, hilarique fronte excipi intellexerit.

7) *De Platonica majestate et sublimitate.*

In eadem, ad quam mox provocavimus, epistola dedicatoria, iisdemque conditionibus, pollicetur *Celtis* se luci esse expositurum *Apuleji libros de Platonica majestate et sublimitate.* Cum in *Apulei* operibus nullum sit, quod hunc titulum praeferat: arbitrandum est, promisisse *Celtem* excerpta quaepiam fragmenta ex *Apuleji* opere *de habitudine doctrinarum Platonis philosophi;* quod pluribus constat opusculis, quae vulgo inscribuntur *De Dogmate Platonis.*

8) *Certamen auri, et Priapi de eminentia.*

Promiserat *Celtis* istiusmodi lucubrationem poeticam *Augustino Olomucensi*, qui per litteras an. 1504 *Celtem* monuit, fidem datam ut liberaret.

9) *Panegyrici ad Maximilianum II. et III. Pars.*

Secundam hujus *Panegyrici* partem spoponderat *Celtis*, se praefixurum *Odarum* libris; partem autem *tertiam* libris *Epigrammatum;* quos emissurus esset in lucem; velut constat ex Panegyrici parte *prima*, quae praevia est libris Amorum.

10) *Stirpis Habsburgicae, et Maximiliani I. Imp. historia.*

Celtis, ut erat in promittendo liberalis, se conscripturum annuntiavit *Domus Habsburgicae et Maximiliani* originem, atque maximi hujus Imperatoris res gestas: modo adjuvaretur unitis sodalium litterariarum studiis: rem namque istam graviorem esse fatetur, quam ut unius ingenio, labore, industriave rite possit confici. Huc pertinet *Celtis* carmen elegiacum adjunctum ejus *Rhapsodiae;* unde has versiculos delibamus:

Posthac pulchra tuae scribam primordia gentis;
Atque atavos, proavos, magnanimumque patrem.
Et generis titulos, et avitae stemmata terrae:
Quamque vetus tibi sit nobilitatis honos.
Quis puer, et primis quo pacto adoleveris annis:
Quid vir, vel quidquid gesseris ipse senex.
Tu tantum placidam nobis concede quietem:
Atque sodalitium coge coire meum.
Nemo etenim hunc solus poterit complesse laborem,
Ex quo tot sancti commemorantur avi.
Cumque tibi nullus similis nunc vivit in orbe:
Historiam hanc solus scribere nemo potest.

11) Quid sit de *Tabula*, ut dici solet, *Peutingeriana*, quam *Michael Hammelbergius* in ep. ad *Beatum Rhenanum* vocat ὁδοιπορικὸν *Celticum*; quamque *Marcus Velserus* primus edidit, multi multa scripserunt. Senserunt de illa non pauci magnificentius aequo. Prodierunt post *Venetam*, quae *Velseri* est, inde ab an. 1591 editiones sequentes: *Antverpiensis* 1598, *Parisiensis* 1618, *Amstel.* 1653, *Norimb.* 1682. A *Georgio Hornio* an. 1686 inserta Geographiae veteri. Successit *Bruxellensis* 1728, quam excepit *Bruxellensis* altera. Demum *Vindobonensis* 1753 opera *Jo. Christophori de Scheyb*, patritii *Constantiensis*, dicata *Mariae Theresiae* Imperatrici. Non esse tanti pretii, quanti vulgo aestimata fuit, suboluerunt *Bern. Lamy* p. 272. Appar. Geogr. *Christoph. Cellarius* in praef. ad T. I. Notit. orbis antiqui. Accuratius ea de re judicium tulit *Conrad. Mannert* in dissertatione adjuncta opusculo *de rebus Trajani ad Danubium. Norimb. 1793.* 8. Non negat vir in eo studiorum genere apprime versatus, a vetere exemplari desumptam esse; sed corruptam in multis, atque interpolatam, referendamque ad seculum XIII. (verisimiliter tribuendam auctori *Chronici Colmariensis*) quod quidem *intrinsecis* aeque ac *extrinsecis* argumentis comprobat; quae singulatim recensere, nostri non est instituti.

Hoc loco satis sit aduotare *Itinerarium* istud esse a *Celte* repertum, *Conr. Peutingero* commodatum, et testamento legatum hisce verbis: *Item lego ego Domino Doctori Conrado Peutinger Itinerarium Antonini Pii; qui etiam eundem nunc*

habet. Volo tamen, et rogo, ut post ejus mortem ad usum publicum, per aliquam librariam, revertatur. Hoc *itinerarium*, ut supra vidimus, *Hammelbergius* vocavit *Celticum*; et *Schierius* numeravit inter *Celtis* opera adoptiva, ut *Roswitham* et *Ligurinum*. Neque video, eccur ea tabula, quae vulgo *Peutingeriana* dicitur, non pari jure vocari mereatur *Celtica*: quandoquidem *Celtis* illam repererit; ac de illa in extremis tabulis praescripserit, certisque appositis conditionibus reliquerit *Peutingero*; qui, quin in lucem proferret, fatis cessit; donec tandem *Velserus* id negotii, multis post annis, susceperit. Quae fuerint hujus *Itinerarii* fata, qua occasione venerit in bibliothecam Augustam *Vindobonae* diligentius exponit illustris *Scheybius*.

Quae tandem de *Ovidii* posterioribus *sex Fastorum libris* feruntur; quos *Celtis* asseruit, servari apud presbyterum quendam in pago prope *Ulmam*, minime probabantur criticis oculatioribus; velut elucet ex his, quae *Jo. Albertus Fabricius* in Bibl. Lat. *Hamb. 1721.* V. *Ovidius*, scribebat: „*Nicolaum* quidem *Heinsium* monuit *Jo. Frideric. Gronovius*, inspectum sibi fuisse in *Norico* vetustam „*Nasonis* editionem, cui *Celtis Protucius*, qui primus post renatas litteras „poesin in Germania restauravit, manu sua adscripserit, reliquos *sex Fastorum* „*libros* servari apud presbyterum in pago prope *Ulmam*; principiumque septimi „libri in illo codice exaratum fuisse:

Tu quoque mutati causas et nomina mensis
A te qui sequitur maxime Caesar habes.

„Sed *Heinsio* videtur *Celtis* ab aliquo deceptus, qui visum sibi, atque inspectum „codicem affirmasset."

Eandem notitiam de inventis *sex libris Fastorum* cum *Celtis* impertiretur *Aldo Manutio*; rescripsit *Aldus*, vehementer se dubitare de rei veritate; neque se convinci illis duobus versibus de mense *Julio*. *Cures* verba sunt *Aldi* ep. 1501, 3. Sept., *accuratissime ut habeas ultimos illos Fastorum libros; quos videndi cupidissimus sum.* Cum ea de re nulla amplius apud *Celtem* fiat mentio: videtur, detecta fraude, agnovisse, se pro thesauro venditasse carbones.

FRIBURGI BRISGOVIAE TYPIS WANGLERIANIS.